Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 9
Quelle:
Copyright:

cum breviculis Argumentis etiam reliquis Epistolis praefixus, quae decumanum hunc *Codicem* terminant.

III.

R. 1045. Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 271. f. max. per duas columnas magnifice exaratus, literis initiorum partim deauratis, rubro, caeruleoque variatis, cujus possessor fuit a. 1699. *Lemaire de Elicourt auocat du Roy*, ut videtur, *Divione*, est *Pars* I. splendidi Operis Biblici *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *IV. Libros Regum*, *Isaiam*, et *Jeremiam* complexa, quibus accedit Particula *Prologi Hieronymiani* in *Ezechielem*, et *Danielis Prophetia* a v. *ult.* Cap. IX. usque ad finem. Rubrica princeps est: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis Incipit praefatio Sancti ieronimi Presbiteri ad desiderium amicum suum. In pentatheuco hoc est in Quinque libris Moysi scilicet. Gegesi. exodo. leuitico. numero. deutronomio. qui apud hebreos uocantur bresit. helesmoth. uagechra. uagedabir. addabarim.* Sequitur Elenchus *Capitulorum* LXXVII. *Geneseos*. Similes Elenchi reliqu's etiam Libris praemissi sunt ita, ut *Exodus* CLX. *Leviticus* XCI. *Numeri* LXXIII. *Deuteronomium* CLVII. ejusmodi *Capitula* censeant. Interim *Capitum* numerus hodie receptus rite notatur in margine, et in Textu magna litera picta distinguitur. *Josue* quoque Elenchum *Capitulorum* XXXIII. *Judices* tantum XVIII. *Primus* et *Secundus Regum* conjunctim XCV. praeferunt. Eadem ratio fuerit *Tertio* et *Quarto*, verum, quod dolendum, exciderunt Membranae a L. II. c. 18. v. 18. ad L. III. c. 2. v. 6. *Prophetae* supra dicti nulla *Capitula* praemittunt, sed *Capitibus* nostris in margine censentur. *Threni* nullo proprio Titulo gaudent; *Baruch* deest. Quae Codicem terminant, jam sub principium notavi.

IV.

Pars II. constat *Foll.* 207. Expletur Particula *Prologi Hieronymiani* in *Ezechielem* superius inchoata. Dein hoc ordine proceditur: *Ezechiel*, *Daniel* et quidem integer, ut adeo nesciam, quid sibi velit Fragmentum P. I. indicatum, XII. *Prophetae minores* ordine consueto, *Libri Salomonis* adjuncta sub finem ejus *Oratione* excerpta e III. *Reg.* c. 8. et II. *Paralip.* c. 6. *Job*, *Tobias*, qui excidit a c. 8. v. 12. et abstulit secum initium L. I. *Paralipomenon* usque ad c. 6. v. 41. Posthaec: *Incipit liber hesdre primus.* Ast Apocryphus est ille, quem *Tertium* compellamus, hoc initio: *Et egit Josias pascha in ierusalem* &c. qui praeterea dictione multum abit ab Editis, cujus vel Versus ult. exemplum esse possit: